

Intolerabilius nihil insipiente beatu. spiritu.
propterea

2375

Oratione fundb. Carol. IV. 45.

Cuius domum frequentius aspicitur,

hujus memoria strictius retinetur.

Clement. una de relig. even. SS.


Sextus Pythagorici.

Sicuti recte in iustis divinus favor arrides; ita
improbè consulta functus sequitur Exipit.

Plat. 6. II. 876.3. Non nocet his dicere, quod bene dicitur.



160.



angeb. 3

WOLGANGI SEIDELII

Curia-varisci,

Dissertatio

Philologica,

de

NOBILITATE

Togata

et

Armata,

item

Utriusq; studiis.

—(90):—

CURIA:

Ex Officina Pfeilsmidiana.

CL. CLCVI.

Viro clarissimo

JOHANNI WAXERELIO

Hist: Professori publico,

in signum debitae observantiae

anno 1786

Magnifico
ac
Nobilissimo
Dom:
GERHARDO SIGISMUNDO
Lüschwitz/
Illustrissimi Principis & Domini,
Domini CHRISTIANI Mar-
chionis Brandenb:
Confiliario
dignissimo,
Præfectoq; Curiensium
gravissimo.

Amplissimis item,
Clarissimis, Prudentissimis,
Consulibus & Senatui
CURIENSI.

Dominis, ac Patronis meis perpetuo obser-
vanti & cultu venerandis.

NOBILISS. PRÆFECTE,

Viri amplissimi,



APIENS NON
minus sentētia, quām
animosa vox est eorum
hominum, qui tam
ocii, quām negocii
sui rationem præstare cupiunt. Si-
quidem φύσις ζῆται μὴ μόνον αὐστηρῶς,
αλλὰ καὶ σχολαζει τὸν νοῦν ποιῶν, ut hu-
mani acuminis apex Aristoteles 8.
Polit. c.3. venustè loquitur. Quam-
obrem, ubi longè adorans Sapien-
tūm vestigia, ocii mei literarii ratio-
nem mihi edendam aliquādo duxi :
quomodo horas bonas melius per-
dere, aut ingenii pabula decoquere
potuissem, quām in politica tractan-
da materia? Non quòd plebeii mei

A 2 Genii,

Genii, & ingenii exilis macies ei vel
percurrentæ , nedum expoliendæ
sufficiat ; sed quia in magnis , non
minus probandi sunt conat⁹, quam
improbandum dulce malum sem-
per inertiae . Sed dicat aliquis, tūne
audeas de Nobilitate scribere , qui
de media plebe consistis ; nec erudi-
tione notabilis es ? Huic breviter re-
sponsum velim , cum non magni
momenti sit objectio : licere scilicet
alienam spectare pulchritudinem ;
licere admirari virtutes : intelligendi
sensum latius patere . Scriptionis
causâ munitâ , dedicationis ratio
reddenda est . Argumentum me ad
hoc impulit ; Cui enim commodius
dedicari potuisset, quam ei, qui dig-
nis Nobilitatem pretiis novit æsti-
mare, qui in ea eminet, ut qui maxi-
mè;

me; qui nobilium studiorum egre-
gius cultor, studiosorum fautor ve-
nerabilis est? De majorum virtutum
tuarum laudibus dicere velle, quan-
quam interest eas omnibus ostendi
atq; commendari; tua posset videri
inuria, Præfect: Nobilissime: Si-
quidem verborum meorum angu-
stiis concludere cōtenderem, quod
satis ampla, & tibi devota provin-
cia laudando gestit propagare.
Illi enim:

Quæis de meliore luto finxit præcordia Titan.

Annum bonum, ut affirmat
Sidonius, non tam de magna fru-
ctuum copia, quam magistratus
bonitate æstimant. Nihil itaq; addo
de Principis nostri clementissimi
judicio: cuius merito quæ gloria.

A 3 major

major est? Longius jam hinc de his
loqui cautio est; ne tenerimam.
Tuam frontem onerent summo te-
nus ore libata saltēm præconia: néve
égo ineptus videar, qui vel suspici-
one studii, veri corrum pam dignita-
tem. Hoc igitur quodcunq; scri-
pti est sereno vultu, animo æquiore
ut respicias (licet hominem non-
dum inspexeris) quanta debeo ma-
xima oro atq; obsecro observantia:
Si non potes oblationis pretio; velis
affectu offerentis.

Jam nunc sermonis mei cursum
ad vos dirigo, Viri amplissimi, pru-
dentissimiq;. Vobis enim jure ac
merito sed dedicat, qualia qualia, mea
officiola; præcipue hoc munus lite-
rarium: partim quia Nobilitatem,
tanquam Virtutis æstimatores, lu-
7015m A benter

benter colitis; partim, quia literas
meas ita fovistis, ut penè fatigasse af-
fectum vestrum erga me non Vo-
bis sed curiosis videri possetis. Sed
quid unquam gratiæ retuli ego, qui
vel agendis gratiis impar fui? Offe-
rebam quidem non ita pridem, ubi
me de solutione instantius conveni-
ebat conscientiæ religio, docendo o-
peram Scholæ pattiæ curæ commu-
ni: sat scio quo affectu; nescio quo
effectu. Magis enim animis instru-
ctus, quam variæ doctrinæ apparatu
animatus feceram. Hanc tamen,
ut in me ipsum potius, quam in alios
severus sim, audaciam (audiebam
enim eos vel superesse candidatos;
quib' si validior est doctrinæ causa,
quam gratiæ interventus, propter
me præjudicium fieri, exiguum for-

iplo V

A 4

tasse

tasse posset videri judicium) ita Prudentiam vestram cum opto, tum spero accepisse, ut humanitatem beneficiorum mihi praestitorum non par esset pigere: nec me officiorum, studiiq; deceret pœnitere. Absit dicto fascinum invidiae. Nulla doctrinæ prætendo merita; qui expendo saltem, vel rependo Vestræ Benignitati meam devotionem: quam æquo animo, si mea studia Vobis usu rerum probatis unquam probata sunt, excipietis: atq; Seidelium vestrum, tanquam Patres amare pergetis: necc civem Consules dedignabimini promovere. Atq; utinam, quod sentio, quod dicere vereor; non linguae in opis obsequio, sed nutu divitis affectus, ut amantes solent, Vobis satis significare potuisse.

Volui

Volui certè, quia debui. Ideoque,
quod superest, Deo Opt: Max: o-
mnem Christianam Rempub: Vos,
Scholam, me & omnia piis com-
mendo precibus, ut valeatis & flo-
reatis. Proceres vestræ Reip: Curiæ,
die GERHARDI, quem nobilissimo
nostro Præfecto L: M. gratulamur,
Anno Christiano cIc. Icvi.

*Cultui Nobilissimorum Claris-
simorumq;*

deditissimus

Wolg. Seidelius.

A , AD

MNTP



ADLECTO.

R E M.

Salve Lector; si qui mihi
futurus: tu ille candidus
es, eruditus. Salutatione solenni,
cum debita eaq; animosa modestia
prælibata; benignitatem tuam le-
gibus convenio humanitatis. Quo-
modo enim melius mecum, homi-
ne scilicet; adhuc adolescentे
ageretur, ubi Tua doctrina multa
addenda suggesserit, plura inven-
erit corrigenda: plurima succingen-
da. Nec mirum in hac mate-
ria, quæ diffusa, difficilis, exultans.

Tum


Tum labore ad multa recordandum, ne unius quidem mensis impenso: nec secessu solitudinis propter incommoditates, in horam adhibito: quod vereor ne Apellens Lector & sponte agnoscat. Quem tamen ut decentime venia respiciat rogatum velim. Dicas hic forsitan: cur ergo cruda adhuc studia propellis in lucem publicam? non est legitimus partus, qui legitimum tempus prevenit, nonum preman- tur in annum hæctalia. Video. Sed ut hæc scio; ita nescio; quid tam facile in amore peccemus? Vidinon ita pridem; & ut vidi; dilexi nobilissimos & modestissimos adolescentes JOANNEM PHILIPPUM, & JOAN.

MIHI

JOANNEM CHRISTOPHORUM ab
Egloffstein, fratres germanos. His
amoris mei, aliis conversationis,
Magistratui observantiae ratio-
nem reddere volui. Ignoscet itaque si
erravi, errori probabili. Quod res
scripti attinet, cuius causa in dedi-
catione adducta, earum fere omnē
gratiam bonis referto auctoribus;
ego vero collectionis impendi ope-
ram bonorum virorum exemplo.
Styli igitur cursus nescivit gaudere
libertate, nec junctura potuit es-
se satis tenuis, apta & concinna.
Inferim tamen si qui nonnulla of-
fendent, quae equidem non affecta-
vi, eloquendi diverticula; minus
fortasse homini nota qui decem tan-
-M. OF
tum

tum Ciceronis paginas, nihil præterea lectoris; utiq; ab eo ad eruditos
cū Politissimo Politiano, cuius hæc
verba sunt, provoco. Hactenuste-
cum qui bonus, qui æquus es: qui
satis emines ingenii proprii meritis,
dum fueris fautor alieni. Sequentia
malesano, malesuado Momorum
generibono animo, bono sensu dicta
sunt. Nihil enim unquam ferè ab
homine dictū est, quin dictis mor-
deri, arrodi possit à maligno dente.
Attamen quicunq; duce virtute,
doctrina comite transit superbien-
tem ignaviam, invidè deroganti-
um; in hoc solum movetur ut gau-
deat: vel certè rideat; ubi nihil isti
homines habeant invidendum.

-o Я iii. Vale lector Candide, Mome vel
rum



De Nobilitate.



Vnde Princeps eloquentiae, certè Latinae copia facile parens M. Tullius ait: Omnes videlicet bonos semper nobilitati favere: id, vel conscientia magistra, quoties nobilior virtus vitium parvis magnisq; civitatibus commune, ignorantiam recti, & invidiam supergreditur; tanquam ex tripode dictum, comperimus. Nimirum, quia & utilissimum est Reip. nobiles homines esse dignos majoribus suis; & quia valet apud nos clarorum hominū, & bene de repub: meritorum memoria etiam mortuorum.

Etsi verò huic Ciceronis (pro Sextio) assertioni pleræq; omnes & barbare, & cultiores gentes unanimi consensu ad stipulando fidem faciant: eam tamen semper appetentes majoris gloriae, magni tandem rerum Domini Romaní,

Argentum

mani, præter ceteros èò magis comprobarunt,
quo omnibus aliis nationibus animi magnitu-
dine fuere præstantiores. Postquam enim tra-
duces illi Martis, lupæ alumni, asylo non minus
quam nobili Trojanorum sanguine in eam ma-
gnitudinem exreverant, dextrisq; patriam
extulerant, ut præstantis R eip formam ductu
& auspiciis Romuli sui instituere possent: centū
Senatores creati sunt; qui si ve ob generis splen-
dorem, virtutis eminentiam; tum honoris &
etatis reverentiam: sive ut Plutarchus in vita
Romuli refert, quod vel liberorum legitimorū
patres essent; vel ipsi suos patres ostendere pos-
sent, Patres eorumq; progenies patricii nomina-
ti sunt, referente Liv. l. i. d. i. Aliud autem
postea senatores, aliud patricios fuisse; hosq; vel
majorum, vel minorum gentium in primis
docet facundiss: Tacitus lib: ii. Ann. Liv. l. i. d. i.
Hi ipsi patres cordis locum obtinebant.
Ideoq; penes eos ut auctoritas consilii; ita praci-
pua fuit dignitas l. 3. Cod: de cons: & non spar-
qua præter ultimā plebem, splendidissimū quoq;
equitum ordinem ita antecessit ordo ampliss:
ut non solum consulare imperium solis sibi re-
servarent

servarent Patritii: verum etiam contaminari sanguinem suum, confundiq; jura gentium putarent ex lege XII. Tab: Si cum plebe communionem matrimonialis coirent lectuli; donec vi tribunorum acerrima, & connubii & summi honoris eorum jus plebs sibi acquisivit, de quo Liv. eloquentiae ac fidei præclarus in primis lib. 4. dec. 1. § 25. 26. l. 2. ff. de Orig. jur.

Egregie ita se habebat patrum primorum civitatis nobilitas, quam equites, sed inter alto interjecto sequebantur. Horum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum, de quo ut & de judicio eorum centum virali, & jure annulorum, qui tertium mediumq; ordinem plebi & patribus inferuere. vide Plin: virum incredibili studio, lib. 33. c. 1. Ov. 2. Trist. & alibi. Valerium Max. l. 2. c. 1. Ita

Aufon.
**Martia Roma triplex: equita
tu, plebe, Senatu.**

Quod autem ad plebiscita attinet, equites quoq; plebis appellatione continebantur, § 7. Inst. de ius: na: l. 238. ff. de Verb. sign. Ceterum haec ordinum distinctio postea tanquam Colonia in

in principes Germaniae civitates deducta est.
Coloniæ enim Agrippina, (quæ juris Italici fuit
lul. § 2. ff. de cens.) Auguste Vindelicorum;
nec non in Te Norimberga ocelli urbium simi-
liter inveniuntur dignitas patritiatus; tum
splendidi mercatores; qui equites Romanos re-
ferunt: & tandem solertes opifices cum plebe
ultima: ad quam olim & ad servos sellularias
artes, & maiestate sua indignas Romani relega-
runt: jurisprudentia sibi & Eloquentia studio,
aliisq; imperatoriis artibus reservatis, ut Hato-
manus & Joan: à Wouver ex lib. 2. Dionys:
Halicar: referunt: Sed ad propositum reverta-
mur. In primis enim D. Augustus, cui dii plura
quam ulli creduntur prestitisse, prefatam Tul-
lii sententiam contestatus est. Ubi namq; refe-
rente diligentissimo auctore Suetonio in ejus
vita c. 40. pleriq; equitum, attrito bellis
civilibus patrimonio, spectare ludos è
quatuordecim non auderent, metu pœne
theatralis; pronunciavit, non teneri ea,
quibus ipsis parentibus uie equester cen-
sus unquam fuisset.

E vestigio pergerem de laudabili Auguste
judicio, nisi opere pretium ducerem pauca hic

B inter-

interferere : præcipuum nimirum fundamen-
tum nobilitatis, notionem fuisse censoriam : cu-
jus magisterii, sive magistræ pudoris & mo-
destiæ virgula neminem in equitum admitte-
bat ordinem, nisi qui patre & avo libero proge-
nitus esset; & bona avita, non tantum paterna
haberet. hinc illè apud Livium, se agro paterno
avitoq; exutum queritur. Val: Max: l.2.c.1.
Nisi quis, inquit, à censoribus in ordinem
senatus electus erat, etiam si ante quæstu-
re vel alius munericis honores gesserat, adi-
tus in curiam non dabatur. Talis autem,
censura & annotatio ex instituto servii Tullii
conditoris omnis in civitate discriminis,
statim ab auspicio cunabulorum, adolescebat.
Cic: 3. de Legib. Censores populi ævitates,
sibbole, familias, pecuniasque censento-
populique partes in tribus distribuunto,
ex iiii pecunias, ævitates, ordines partiun-
to, equitum peditumq; prolem descri-
bunt. **Apul. 2. Apol:** Pater, inquit, natum
sibi filium more cæterorum professus est,
tabule ejus partim tabulario publico, pat-
tim domo asservantur, vide si libet, l.29.ff.
de probat: l.3. ff de Cens. Juu. sat. 9. l.10. l.13. ff.
de

deprobatur: Liv. lib. 3. Ex nomine igitur & of-
ficio censuræ intelligerelicit, non solam census
rei-familiaris rationem habitam in equestri or-
dine; sed etiam generis, & aliorum. Hoc sere-
nissima etiam potentissimaq; Venetorum obser-
vat Respub. Majores nostri sapientissimi
homines, inquit nobilissimus Contarenus l.
decorum repub. ubi agit de jure sortis nobiliū,
definitionem publici juris, generis nobi-
litate longè melius fieri censuerūt, quam
magnitudine census &c. Qua de re egre-
giè in suis doctis Jupiter! & laboriosis thesibus
tractat Vir nobilissimus: Dn: Joan Georg:
Holzapffel, cogn: Milander, quem grati a-
moris ergo hic laudare debui. quibus enim hu-
manitatis officiis me hominem peregrinum
Lugduni Batavorum dignatus est? Hinc
jam facile intelligimus, cur posito Othonē libu-
erit Juvenali dentem stringere satyricum sat: 3.

— De pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, & sede-
ant hic

Lenonū pueri quo cunq; in fornicie
nati. B 2 Sic

*Sic libitum vano, qui nos distinxit,
Othoni.*

Talis Otho, ut & hoc, proposito nostro &
eius modi scripti permisso παρέγεως addamus,
vulgus videtur veritatis pessim⁹ interpres:
qui tantum Polyplusium genus, quod unū
plerūq; est pollens atq; honoratissimū,
cuius ardēlio est, didicit admirari. Sed hoc vi-
lis plebecula; imo quicquid hominum alienis
auriculis cibum colligit, defectu iudicii facere
solet; aliter vero sapientes; Apulejus, Pau-
pertas, inquit, prisca apud sācula omnium
civitatum conditrix, omnium artium re-
pertrix, omniū peccatorum inops, omnis
gloriæ munifica, cunctis laudibus apud o-
mnes nationes perfuncta. Eadem enim
est paupertas apud Græcos in Aristide ju-
sta, in Phocione benigna, in Epaminonda
strenua, in Socrate sapiens, in Homero
diserta. Eadē paupertas & Rom. pop: &c.
Contra longè plures à divitiis submersi sunt,
quam montes subverterint, mariaq; constrave-
rint, quibus ludibrio fuerunt divitiae. Sall: bello
Catil: Juv: sat. 6. *Quid, quod*

*Paupertas
h̄is elogiu.*

212

s

8

Frangitur

it, Frangitur ipsa suis Roma superba
bonis.

Virtus vero in suo ore dicit innocentiam
paupertatis; quae bona mentis soror est Pe-
tron. Val. Max. l. 4. c. 4. Liv. l. 2. & 3. dec. 1.
Heinsius proxeneta meus apud Illustriss. Scali-
grum amorem bonorum, acutissime:
Sublimioris dura naturæ comes
Regina egestas, sola quæ semper
minus
Habendo, nunquam major esse
desinis.

Nec universitati solum, ut aliquando illac
redeam, unde abiit, Divus ille & vere Augustus;
sed & singulis Deum effingendo, consuluit.
Hortalo sanè nobili juveni, ac Hortensii, qui
contra Tullium eloquio stetisse fertur, nepoti,
cum tenuis esset, ejusq; res nec ducendæ uxori,
neg. alendis liberis sufficeret, dedit augusta mu-
nificentia decies sestertiū: ut liberos luscipe-
re posset; ne clarissima familia extingue-
retur, ut refert nunq; sine laude loquēdus.

B 3 Tacit-

Tacitus l.2. Annal. Id quod cum Tiberius, qui
tamen census quorundam senatorum juverat,
nolle imitari; non tantum Hortali miseria
avitæ nobilitatis etiam inter angustias
fortunæ retinens agre tulit: Sed etiam ma-
jor & melior senatus pars vel silentio transiere,
aut occulto murmure doloris indice excepere.
Nec immerito, favor enim nobilitatis cum in-
speciem favorabilis; tum etiam honestissimus
est. Siquidem ille non tantum proprius virtutes
degustasse; sed nobilitate etiam abundare cre-
ditur: qui alios, vel majorum meritis insignes,
vel proprio marte ad honesta & magna tenden-
tia amat, devotione veneratur, & ore celebra-
re, immo & promovere didicit. Proinde egregie
facundissimus Sym: ep. 37. l. 9. Ratio quidem,
inquit, justitiae semper habenda est, sed
citca nobiles probabilesq; personas plus
debet esse moderaminis, ut perspiciatur
in discretione judicium. Hæc de Romana
nobilitate breviter hoc loco attigisse sufficiat:
nunc paucissima quoq; de ppria nobilitate Ger-
manorū, in quibus facile præstantissima, adji-
ciam: quamvis non ignorem, melius esse tacere
de carthagine, quam pauca dicere. Tacitus de
mori.

moribus German: Reges, inquit, (ubi obser-
vanda distinctio, quæ futurae disputationi usui
est) ex nobilitate; duces ex virtute sumūt;
atq; de centenis ex singulis pagis, ad aciem ex
omni juventute dilectis; quod primo, inquit,
numerus fuit, jam nomen & honor est.

Prætereà quòd nulli auspicio fuit major fides, *Hinnitus*
quam equorum hinnitibus observatis, omen *omen-*
equestris dignitatis in nostra natione habeo:
propterea quod in illa re exercenda maximam
operæ & ætatis partem nobilitas positam
habet, ut *Ubertus Folietta de laudibus urb.*
Neapol: loquitur: quem vide, si laudes egregiae
Urbis, condicionemq; more gentis, nobilissimo-
rum civium cognoscere velis. Ceterum rex
vel princeps, prout ætas cuiq; prout no-
bilitas, prout decus bellorum, prout fa-
cundia erat, audiebantur: auctoritate
suadendi magis quàm jubendi potestate.
Insignis autem nobilitas, aut magna pa-
trum merita principis dignationē etiam
adolescentulis assignabant: cum ventum
in aciem, turpe principi virtute vinci, tur-
pe comitatui virtutem Principis non ad-
æquare. *Hec ex Tacito tacere non potui:*

B 4 que

explanatio

que si fortè sufficere possent de laude bellicā;
cum Orbis consensu semper celebrata sit: nemo
tamen dignetur audire Cæsarem (qui inter
omnes homines hac gloria enituit: si ta-
men laus est, ductibus suis, ut Solinus perhi-
bet, undecies centum & nonaginta duo-
rum millium hominum, præter civilem,
sanguinem effundere) Cæsar, ait cōment.
7. de bel. Gal.: ex castris equitatum educi ju-
bet, præliumq; equestre committit: la-
borantibus jam suis, Germanos equites
circiter 400. submittit, quos ab initio se-
cum habere (*instar prætoriæ cohortis*) insti-
tuerat: eorum impetū Galli (amplissima-
rum alias, invictissimarumq; domitores natio-
num) sustinere non potuerunt. *Hinc Fri-*
ssi l. 13. Ann. apud Tac: (ubi Pompejana prosce-
nia intraverant, Armenios & Parthos legatos
sedentes in senatu viderant) **NULLOS
MORTALIUM ARMIS AUT FIDE
ANTE GERMANOS ESSE.** *Vide*
si placet Ramum (qui sine radice inutilis)
lib. 2. Schol: Mathem. Nec facile quis nega-
verit, ὡς τὸ ὄλευθον εἶπεν. Hæc proœmit
loco in favorem nobilitatis delibare volui: nunc
destinatū propriū aggrediamur. *No-*

Nobilitatis igitur nomen non semper apud
bonos autores in bonam partem trahitur. Liv.
lib.2.dec.3. Hæc est pugna, inquit Cannensi
clade nobilitata. Quomodo? Æternum
vulnus rei Romanæ inflictum erat. Sed ibi in-
signe, aut notabile significat. Ferrarottus ex
Nonio, § 22.num.4.de inimic. Quem, inquit,
credis esse nobilem? nisi notum propter
virtutes & præclaræ facta? &c. P. Grego-
rius c.20.l.4.comment.art.mir.dicit: nobile,
quasi non vile: quam notationem retinebi-
mus; siquidem de illa nobilitate præcipue actu-
rus sim, quam signanter sanè ingeniosiss: Poëta
depingit in ep: Paridis,
*Forma vigorq; animi, quamvis
de plebe videbar,*
Indicium tectæ nobilitatis erat.

Rectè itaq; Græcis εὐγένος, Gallis Gentil
homme, Anglis Gentleman, nobis Edel-
man/ einer von Adel. Pars enim sunt eximia
Aquilæ, insignis Germanorum imperii. Quod
Tu RUDOLPHE semper Augūste
ab includitis majoribus transmissum cum
moniusq;

B 5 summa

summa tua laude tenes, diutiusq; ita cum
Justo voveo, tenebis bono Christiani orbis.
Nunc sine graviori negocio definitionem
eu^ge^va^p possumus. Causarum enim funda-
menta, licet pro natura sua lateant, jaⁿdudum
jecimus; involucra nominis enodavimus: Atq;
eo diligentius, quo omnis definitio in jure
civili periculosior: quò & futura pertinet
disputatio. Quare si que offenderint juris na-
turæ tantum consulti: quæso judiciorum suo-
rum properantiam suspendant, cum civilis au-
toritas eorum ratiunculis non per omnia ser-
viat. Petro Gregorio jam dicto loco placuit
definire, esse virtutis continuatæ, vel ac-
quisitæ in aliqua familia laudem: Bartolo.
in l.i. num. 57. (de dign:) Qualitatem per
principatum tenentem illatam, qua quis
ultra mores honestos plebejos, honestus
esse ostenditur: Principi Philosophorum
3. Polit. c. 7: εὐγένεια ὅσπες θήγενες. Quod si
mihi vix dupondio juris studioso etiam pre-
missas paulo latius liceret pandere; dicerem,
eam nihil aliud esse, quam Generis à princi-
pe, cumq; sequente Repub. meritorum
præmiis ornati claritatē acquisitam: per
sanguinem

sanguinem propagatum; per virtutum
pignora s̄æpe probatam, semper cohone-
statam. Faculam, si dictu fas est, prætulit
mihi Ovidianus Romulus dicens:

Arbiter amorum, de cuius sanguine natus

*Credor, & ut credar pignora
multa dabo:*

*Ne scilicet Dido Aeneæ duritiam & perfidiam
coarguens dicere valeat:*

*Non tibi diva parens generis nec
Dardanus autor,
Perfide, sed duris genuit te cauti-
bus horrens*

Caucasus—

Igitur:

*Ede notam tanti generis, teq; af-
sere cælo.*

*Ita & Alexander Macedo egit, ut Deo
genitus crederetur.*

Et si

*Etsi vero rerum prudenti sat dictum sit,
præsens scilicet institutum perfectiori nobilita-
tis modo natum & dicatum esse: tamen prius
quam assertionis meæ rationem reddam, distinc-
tionem quandam, quæ sensum augeat, subji-
ciam. Triplex enim modis accipitur; primo, ra-
bilitas. ratione sanguinis tantum, ut & vulgo notum
est: deinde, ratione solius virtutis; ut apud
Philosophos, & Poëtas: deniq; consideratione
natalium, & virtutis: quæ sane perfectæ nobili-
tatis nomen implet rationis & autoritatis
mensura. Etenim*

*Tugeminas animi nobilitate gen;
Protinus ad patrios tua fers
vestigia vultus.*

*Huic nunc subjungimus eam quam Cæsarea
tribuit Auctoritas fons omnis politice nobili-
tatis ut inferius probabimus, siquidem talia
beneficia Imperatoris (qui optima quæq;
quatenus divina providentia vivit mortalem
Deum, velle & agere, favore majestatis, qua-
nib[us] sanctius, præsumitur) juxta l. 3. ff. de
Const: prin. quam plenissimè interpretan-
da*

da sunt. Et quoniam in confirmationem no-
stra descriptionis paulatim venimus; perga-
mus, & origine paulo altius repetita.

Bene ac sapienter gentem majorum gentium
xdes Honori atq; virtuti geminas jun-
ctim locasse, cum constans auctoritas, tum
probabilis ratio est. (Val. l. i. c. i. Liv. lib. 7.
dec. 3. Sym. ep. 14. l. 1.) Ibi enim splendere de-
bent præmia honoris, ubi virtutis exculta fue-
runt merita. Quoniam igitur secundum le-
gum voluntatem, jurisq; sententiam, non tan-
tum virtutum præmia tribui benemerent-
ibus conveniat (l. 4. C. de statu: & imag:)
nec paternos honores filiis invidere lice-
at: (l. 11. C. de dign:) verùm etiam Virtu-
tis laus æterna habeatur (Salust: in exordio
belli Catil:) nec immunitas rebus data ex-
tinguatur (l. 3. ff. de cens:) & ornamentis
bonorum ad publica decora incitetur imi-
tatio (Sym. ep. 25. l. 10.) quidnitoti posteritati
(argumento l. 4. ff. de in jus voc:) clarissimi
viri deferatur; quod ille de bono publico, cui na-
tus erat, vel patrimonii, ac vita etiam damno
meruit? cum præsertim labores & incommoda
eo promptius subeant probatissimi quiq; & ho-
nores

nores suavius aggrediantur: quo majori spe po-
steritatis, fructuq; ducantur. Nec lex absurd
fuit, teste Aristotele lib. 2. pol. c. 6. Cui cum illo
Syracidis c. 27. benè convenit. Remuneran-
da itaq; publico amore privata pericula, præ-
miiisq; aeternis hortanda sunt § 3. l. 5. ff. de
immunit: Proinde, ne minus solatii ex glorio-
sa morte, quam laudatissima vita eorum pro-
veniat, qui, cum fortiter in acie steterant, pul-
cherrimè pro repub: ceciderunt: in per-
petuum per gloriam vivere intelliguntur
§ 1. Inst: de Excus: Tut: Cic. q. phil. § 6. l. 35.
ff. Ex quibus cau: majo:

Jam, si curæ bonorum parentum nihil ma-
gis familiare est, quam familiaris rei honesta
amplificatio: ut liberi debito obsequio amplissi-
mam mereantur, adeantq; hereditatem: opti-
ma autem hereditas, ut Cicero confirmat, à
Patribus tradatur liberis, omniq; patri-
monio præstantior, gloria virtutis, rerūq;
gestatum: quo vel colore, honore hoc, qui est
successio in universum jus quod defun-
ctus habuit l. 24. ff. de Verb: sign: eos prohibe-
bimus, quibus eam ratio naturalis & civilis
addicit.

Profunt

Prosunt itaq; parentum merita liberis, quibus nihil humano generi charius; in quibus mortalitatis mediocritas immortalitate sibi blandissimo artificio gestit invenire: dum ii qui collunt natale solum connubii

—quasi cursores vitae lampadas tradunt,

ut Lucret facundia præcellens poëta luculentiter cecinit. Quod rursus melius decurso parentum vite lumine accendere ipsis possumus, quam filialis honoris lucem gloria paterna inflamatam? Quid, quod ii qui egregia dederunt exempla, multum relinquant desiderii? hoc quomodo melius expleri poterit, quam se eorum soboles honorum præmiis ad imitandam industriam urgeatur? Hæc expressa & vera parentum imago est; in quam cum sanguine divinus spiritus transfusus est. Cicero 9. phil: de Servio Sulpicio, qui non magis Juris consultus, quam justitiae fuit, nullum, inquit, monumentum clarius relinquere potuit, quam effigiem morum suorum, Virtutis, constantiæ, pietatis, ingenii, filium.

Adde quod naturalibus stimulis paterna pie-

tas

tas magis agatur ad alimenta liberis procuranda, quam contra, atq; ideo pro affectu teneritate latissimè in liberorum honore gaudeat § ul: l. 8 ff. quod metus cau: Cic: in Orat: ad Quir, Gell: t. 3. c. 15. (ubi refert quosdam parentes præ gaudii impotentia repente, atq; in manibus filiorum animas efflasse, reddidisse). O felicem mortem? Felicius sanè quam misera illa mater, quæ, ut Tacitus perhibet l. 6. Annal: necata est principe Tiberio, quod filii necem flevillet.)

Rectè itaq; & ordine, exq; Repub: fecit majorum sapientia, dum vigore justitiae unicuiq; suum in suis heredibus tanquam in renovato, non immutato (l. 76. ff. de judic:) genere tribuit: ne scilicet debita filiorum votis vota parentum in vita cogantur cessare; cum omnis in Ascanio cari stet cura parentis.

Audiamus nunc quoq; si placet, gravissimum morum censorem Senecam. Non sine ratione, inquit 4. de Benef: c. 30. sacra est magnarum virtutum memoria: & etiam plures bonos juvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat: Ciceronem filium quæ res consulē fecit nisi pater? Cinnam
nuper

nuper quæ res ad consulatum recepit ex
hostium castris? quæ Sextum Pompejum
aliosq; Pompejos, nisi unius viri magni-
tudo &c.

Enille Seneca, cuius inter nobiles & lon-
ga decora præferentes novitas enituit;
qui paulo prius 3. scilicet Benefic: c. 28. dixerat:
neminem altero nobiliorem, nisi cui re-
stius ingenium & artibus bonis aptius.
Qui imagines, *inquit*, in atrio exponunt,
& nomina familiæ suæ longo ordine ac
multis stemmatum illigata flexuris in parte
prima ædium collocant, noti magis
quàm nobiles.

Atq; ep: 44. Patritius Socrates non fuit,
Cleanthes aquam traxit, & rigando hor-
tulo locavit manus. Platonem non acce-
pit nobilem Philosophia, sed fecit. *De*
quorum postremo tamen Apulejus auri, inquit,
tantum reliquit, quantum puer nobilita-
tis insigne in auricula gestavit. *Sed hæc*
mittamus, aut potius Senecam cum Seneca com-
mittamus; modò constet pius & justum prin-
cipum, Rerum pubq; studium esse, quod amico-
rum, quales omnes boni & nobiles viri sunt, li-

C beris

beris impenditur: præsertim, si devotio delata
sanctis majorum manibus, meritis cumuletur
posteriorum. Tales enim amplissima Curia,
ut Symmachus rotundè perhibet, non accipit
ut novos, sed recipit ut debitos. Hoc itaq;
boni Principes bono debent sæculo. Diris ete-
nim temporibus, ut Tacitus ait, nobilitas,
opes, omisi, gestiq; honores pro crimine,
& ob virtutes certissimum exitium. Nec
illud verò, ut cuidam videri posset, tantum pu-
blico favore receptum est: ipsa juris ratione ob-
tinet. Nam si parentum impiorum graviſſi-
ma crima, contra quæ lex Julia læſæ, (quod
abominor) Majestatis insurgit, etiam in filios
ab omni ſpe propinquorum successionis aliena-
tos ita redundant; ut imperiali lenitate vi-
tam illis concedere vindices videri velint
(licet tantum tyrannidis odium effugiant, con-
templatione τῶρ τέκνωρ ἀμυδέρη συνήδει τοῖς
γεγεννηκόσι, ut in historia Memnonis legitur)
quia in istis paterni criminis exempla
metuuntur: (l.s. C.adl.Jul: Maj: Joan Sa-
resb.c.25.l.6.policrat:) rectè hereditaria vir-
tus in filiis, imò firmiori ratione præsumitur:
*Siquidem in dubiis humanitas ad benigni-
tatem*

tatem nos inclinare debet. Sen : ep : 81. l. 18.

19 ff. de Leg : l. 42. ff. de pæn. Atq; ideo patrum honestissimerū præclara merita filiis proderunt: quia secundum naturam est, commoda cuiusq; rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, l. 10. ff. de reg. jur.

Cæterū in levioribus avi potius dignitas prodest nepotibus, quam casus obsint parentum l. 7. 9. ff. de Senat : l. 18. ff. de statu hom : quod fieri videtur ratione patriæ potestatis § 4. Inst. de patr : pot : § 3. Inst. de hered : ab intest : Nec rursus nobilitatem tollunt vitia graviora; quemadmodum nec artifia, robur ac prudenteriam, l. un : C. de reis postu : l. 2. C. de his, qui in exil : dati. l. 10. C. de dign : l. 31. ff. de pænis. Cicero 7. Verr : de Uerre : Sit flagitorum omnium vitiorum q; princeps, attamen est bonus imperator. Tacit : l 2. Annal : quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promptis &c. 6. Annal : quo non, inquit, aliud honorificentius Cottæ evenit, qui nobilis quidem, sed egens ob luxum ; per flagitia infamis, sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultiōnis æquabatur. Ibid : Mamercus Scaurus rursus

B 2 postu-

postulatur, insignis nobilitate, & orandis
causis, vita probrosus. *Quid amplius vis?*
stabant delegati ad palum nobilissimi Ju-
venes, proditores patriæ, liberatoris Brutifilii,
Liv.l.2.dec.1. Verum haec non in turpitudinis
patrocinium; nec ignominiam, sed veneratio-
nem nobilitatis, ut dicta, sic intellecta velim.
Quippe, et si continuis laudibus honestatem ce-
lebrare possem, non satis mibi viderer promea
affectione fungi debitum meum: tantum abest
ut scelerum causam velim agere. Sed ut hoc
justi propositi est; ita humanitati competit, ho-
minis, nobiliumq; conditionem considerare.
Quatenus enim hominem agimus in immundo
mundo non magis semper sapere valemus,
quam bene olere qui in culina habitant:
nec rursus ita nobilitatis avita potentia vincit
in nepotibus venena vitiorum; sicut Marso-
rum, & Psillorum gens serpentibus illæsa perhi-
betur. Hujus aquissimæ lancis librâ crima
in optimis quibusq; suspenduntur Rebpub. Sal-
lust: de bello Catil: Senatum ait decreuisse,
ut abdicato magistratu, Lentulus itemq;
cæteri liberis custodiis haberentur: quas
honestas nominat Hieronymus, & quasi sena-
toriæ

toriæ dignitati debitas: quæ distinctio pæ-
narum ex ordinum discrimine in jure civili
perpetua est. l. II. C. de quæstion: Sed abeamus
ab his; imò maneamus; Obstare enim præfatis
videtur primò l. 8. ff. de Senat: l. 10. C. de Nupt:
l. I. C. de dign: Nam hic asseritur, feminas,
si & avum consularem &c. habuerunt, &
non privatæ conditionis hominibus nu-
pserunt, claritatem generis retinere. Ex
hoc colligat quis: si matrimonium initum cum
plebejo aufert, aut saltem minuit generis digni-
tatem; multò magis vitia, & scelera eam eripe-
re: Conjugium enim & honorabile, & favora-
bile est. Respondeo hoc fieri ratione divini &
humani juris; l. I. ff. de ritu nupt: ubi maritus
caput est, Ephes: c. 5. v. 23: & quatenus ma-
jor dignitas in sexu virili, l. I. ff. de Senat:
Anson: 13. Parent: l. 9. ff. de statu hom: Unde
fit, ut, quemadmodum mulieres maritorum
honore eriguntur; ita postea minoris con-
ditionis virū sortitæ priori priventur di-
gnitate, l. 13. C. de dign: accessio enim cedit
rei principali. § 13. l. 19. ff. de auro. § 4. § 5.
l. 23. ff. de rei vin: Deinde objici possent ver-
sus Juvenalis sat. 8.

C 3 —emptorg

emptorq; veneni
Frangenda miseram funestat
imagine gentem.

Item Tacitus lib. 2. Annal: Tunc Cotta
Melfalinus, inquit, ne imago Libonis (qui
reus videbatur laesa maiestatis) exequias po-
sterorum comitaretur, censuit. Satis autem
constat nobilitatem veterum magna ex parte in
illis imaginibus constitisse. Hac non inficias
eo; immo addo etiam damnatos quosdam, qui
damnatorum habuerunt imagines, Cicero pro
C. Rabir: dico tamen imagines frangi, & dam-
nari, ut discriminem appareat inter viros optimi
meritos, & malos homines: licet sint nobilitate
præstantissimi, (qualia monstran non nulli exti-
tere Cæsares.

Disce ex Tranquillo quæ memi-
nisse piget)

Ne scilicet & isti gentis sue decus videan-
tur, cui fuerunt damno & dedecori. Interes-
tamen retinent suam sibi nobilitatē politicam
quam diu vivunt: nulli alii possunt relinquere,
Jerem: 22. Clarissimi enim viri tantum, &

optimè

optimè meriti progeniem suam honestare; ut
virtutis exemplum; ita aliis causa nobilitatis
possunt existere. Ideoq^z eorum imitatio per ima-
gines oculis posteritatis ingeretur. Scilicet non
vi figuræ, sed memoriæ rerum gestarum Salust:
in exord. belli Jugurth: Verum enim vero
si quis sibi ipsi nobilitatem comparavit, potest
is, qui indulserat, ob scelera graviora istum ho-
minem honore exuere, l. 12. C. de dig: l. 4. C. de
sum: Trin: Sidon: ep. 7. l. 1. de Arvando,
confestim, inquit, privilegiis geminæ præ-
fecturæ, quam per quinquennium repe-
titis fascibus rexerat, exauktoratus, & ple-
bejæ familiæ non ut additus, sed ut reddi-
tus, publico carceri adjudicatus est. Unde
igitur avitam natalium nobilitatem, vivis
afferrent vitia, si ne animum eripiunt nobili-
orem; quamquam ad perversa deflectant: dum
præter alias causas, altissima, ut Tacitus perhi-
bet, cupiunt mortalium Optimi: De qua
sententia prudentissimi historici libet paulisper
hic, vel ad varietatis gratiam, evagari: cum
nobilis scriptio gaudeat libertate; ego vero ac-
curatam Logicorum subtilitatem non obser-
vem nimis religiosè.

C 4 Jam

Jam primum quanta fuit Alexandri Ma-
cedonis animi magnitudo; qua egredi humana
imbecillitatis gestiens terminos

Æstuat infelix angusto limite
mundi!

Quæ nobilem illam vocem, de qua Ausonius
ingrat: act: expressit: occiderem illum, in-
quit, qui me tertium (in novem principibus
ad pugnam paratis) nominasset. Cæsar,
teste Sueton: c 7. animadversa Magni hujus
imaginis ingemuit (non dolore invidiae, sed
stimulo emulationis) & quasi pertæsus signa-
viam suam, quod nihil dum à se memora-
bile actum esset in ætate, qua jam Alexan-
der (qui tertio & trigesimo anno mortem obiit
s. phil:) orbem terrarum subegisset; missi-
onem continuò efflagitavit. Magno qui-
dem animo; sed quo effectu idem auctor refert
c. 30. quod neq; opera consummare quæ
instituerat, neq; populi expectationem
privatis opibus explere posset, turbare o-
mnia voluit. Vide Ciceron: I. & 3. Off: Sen:
